

animi significatio: quamlibet magna canum & venantium urgente vi, contemptum restitansq; cedit in campis, & ubi spectari potest: idem ubi virgulta sylvasq; penetravit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudine loco. Dum sequitur, insilit saltu, quo in fuga non vitatur. Vulneratus, observatione mira percussorem novit, & in quantalibet multitudine appetit. Eum vero qui tela quidem miserit, sed tamen non vulneraverit, correptum raptatumq; sternit, nec vulnerat. Cum pro catulis feta dimicat, oculorum aciem traditur desigere in terram, ne venabula expauescat. Caterum dolis carent & suspitione: nec limis intuentur oculis, afficiq; simili modo nobunt. Creditum est a moriente humum morderi, lacrymamque leto dari. Atq; hoc tale tam saevum animal, rotarum orbis circumacti, curruq; inanes, et gallinaceorum crista cantusq; etiam magis terrent, sed maxime ignes. Aegritudinem fastidij tantum sentit, in qua medetur ei contumelia, in rabiem agente annexarum lascivia simiarum. Gustatus deinde sanguis in remedio est. Leonum simul plurium pugnam, Romae princeps dedit Q. Scaevola P. filius in curuli adilitate. Centum autem iubatorum primus omnium L. Sylla, qui postea dictator fuit, in praetura. Post eum Pompeius Magnus in circo d. c. ac in ijs iubatorum cccxv. Caesar dictator cccc. Capere eos, ardui erat quondam operis, foveisq; maxime. Principatu Claudij casus rationem docuit, pudendam pene talis ferae nomine, pastoris Getuli sagitta contra ingruentis impetum obiecto: quod spectaculum in harenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi iniectum operto capite, ita ut denuncietur non repugnans: vide licet omnis vis constat in oculis. Quo minus mirum sit, a Lysimacho Alexandri iussu simul incluso strangulatum leonem. Iugo subdidit eos, primusq; Romae ad currum iunxit M. Antonius, & quidem civili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis, non sine quodam ostento temporum generosos spiritus ingum subire illo prodigio significante: nam quod ita vectus est cum mima Cytheride, supra mostra etiam illarum calamitatum fuit. Primus autem hominum leonem manu tractare ausus, & ostendere mansuetum, Hanno est clarissimus Paenorum traditur: damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenij videbatur: & male credi libertas ei, cui in tantum cessisset etiam feritas. Sunt vero & fortuita eorum quoque; clementiae exempla. Mentor Syracusanus in Syria leone obvio suppliciter volutante, at tonitus pauore, cum refugienti undiq; fera opponeret sese, & vestigia lamberet adulanti similis, animadvertit in pede eius tumorem vulnusq; & extracto surculo liberavit cruciatu. Pictura casum hunc testatur Syracusis. Simili modo Elpis Samius natione, in Africa delatus nave, iuxta littus conspecto leone hiatu minaci, arborem fuga petit, Libero patre invocato: quoniam tum praecipuus votorum locus est, cum spei nullus est,

Neque profugienti cum potuisset, fera insliterat: & procumbens ad arborem, hiatu quo terruerat miserationem querebat. Os morsu avidiore inhaeserat dentibus, cruciabatq; inedia tum pene in ipsis eius telis suspectantem, ac velut mutis precibus orationem: dum fortuito fidens non est contra feram, multo diutius miraculo quam metu cessatum est. Degressus tandem euelit praebenti, & quam maxime opus esset accommodanti. Traduntq; quandiu navis ea in littore steterit, retulisse gratiam venatus aggeredo. Qua de causa Libero patri templum in Samo Elpis sacrauit, quod* ab eo facto Graeci νεχλωστος διουστα appellauere. Miremur postea vestigia hominum intelligi a feris, cum etiam auxilia ab vno animalium sperent. Cur enim non ad alia ierent aut vnde medicas manus hominis sciunt? nisi forte vis malorum, etiam feras omnia experiri cogit.

De pantheris.

CAP. XVII.

Eque memorandum & de panthera tradit Demetrius physicus, iacentem in media via hominis desiderio, repente apparuisse patri cuiusdam Philini, affectatoris sapientiae: illum pauore capisse regredi, feram vero circumuolutari non dubie blandientem, seseq; conflitantem morore, qui etiam in panthera intelligi posset. Feta erat, catulis procul in foueam de lapsis. Primum ergo miserationis fuit non expauescere, proximum ei curam intendere: secutusq; qua trabebat vestem vnguium leui iniectum, ut causam doloris intellexit, simulq; salutis suae mercedem, exemit catulos: eaq; cum ijs prosequente, usq; extra solitudines ductus, leta atq; gestiente: ut facile appareret gratiam referre, & nihil inuicem imputare, quod etiam in homine rarum est. Haec fidem etiam Democrito afferunt, qui Thoantem in Arcadia seruatum a dracone narrat. nutrierat eum puer dilectum admodum: patiensq; serpentis naturam, & magnitudinem metuens, in solitudines tulerat: in quibus circumuoluto latronum insidijs, agnitoq; voce, subuenit. Nam quae de infantibus ferarum lacte nutritis, cum essent expositi, proditur, sicut de conditoribus nostris a lupa, magnitudini fatorum accepta ferri aequius, quam ferarum natura arbitror. Panthera & tigris macularum varietate prope sola bestiarum spectantur, ceteris vnus ac suus cuiusq; generis color est. Leonum tantum in Syria niger. Pantheris in candido breues macularum oculi. Ferunt odore earum mire sollicitari quadrupes cunctas, sed capitis toruitate terreri. Quamobrem occultato eo, reliqua dulcedine inuitatas corripunt. Sunt qui tradunt in armo ijs similem lunae esse maculam, crescentem in orbem, & cauantem pari modo cornua. Nunc varias & pardos, qui mares sunt, appellant in eo omni genere, creberrimo in Africa Syriaq; Quidam ab ijs pantheras candore solo discernunt, nec adhuc aliam differentiam inueni. Senatusconsultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius tribunus plebis, permistisque Circensium gratia importare. Primus autem Scaurus adilitate

* ab effectu
Graec.